

terum multum valere apud se fœdera, quibus Philippo astringerentur: verum ea rata tam diu inviolataque per Venetos futura, donec id facere tutum suæ libertati cerne-  
rent. Rerum ad hæc humanarum haud se quidem oblitos, non posse se non vehementer adversis liberi populi rebus mo-  
veri. Iret igitur, & si Venetos in fœdere & amicitia re-  
tinere vellet, Florentinis pacem redderet, quæ sibi tam  
grata futura esset, quam illis ipsis, quorum res in disci-  
mine sitæ essent. Ea mansuete & amice Philippus audire,  
vultuque & verbis significare, omnia se Venetorum causa  
facturum: urgere tamen nihilo remissius Hetruscas opes:  
alia deinde atque alia causando, rem dissimulando trahere.

Veneti etsi plane videbant, quorsum tenderent Philippi  
consilia, ne tamen temere quicquam facere viderentur,  
Paulum Cornarium postremo ad eum mittunt: qui, si con-  
festim bello non abisteretur, quid Patres in animo habe-  
rent, perspicue illi denunciaret. Confirmaverat non pa-  
rum dubios antea Venetorum animos ad apertas belli mi-  
nas, nisi arma deponerentur, Francisci Carmaniolæ a  
Philippo ad se transitus: qui per eos dies, quum exole-  
torum (ut ipse prædicare solebat) delatione Philippum  
a se alienatum sensisset, & iræ & minarum plenus aver-  
sis itineribus per Tridentinos Taurisium venerat. Orationis,  
quam Cornarius ad Philippum habuit, hæc fuit summa,  
ut dixerit: *Inter omnes terrarum Principes, quos Deo*  
*Optimo Maximo ob amplissimas fortunas gratias agere*  
*oporteret, qui Philippo impensius id præstare deberet, se*  
*ad eam diem nosse neminem. Quippe cui paternum princi-*  
*patum magna ex parte amissum, non solum recuperare con-*  
*tigisset, sed incredibili etiam rerum successu mirum in mo-*  
*dum augere: qui eam Italiæ partem florentissimo obtineret*  
*principatu, quæ soli ubertate, urbium opulentia, virorum*  
*ingenio, & ad cultum agrorum, si pax sit, si bellum, ad*  
*arma idoneo, cuius regnorum non conferri solum, sed præ-*  
*ferri etiam sine controversia posset. Verum enim vero quan-*  
*tumcunque illud esset, non ea ratione se ad divinam provi-*  
*dentiam præsentem illum rerum successum referre, ut altam*

Cornarii o-  
ratio ad  
Philippum  
de deponen-  
dis armis  
adversus  
Florenti-  
nos.